

542

67. 3

D. D.
 DISSERTATIONIS,
 DE
**NATURA ET INDOLE
 THEOLOGICÆ
 NATURALIS,**

PARTEM PRIOREM,

*Consent. Ampliff. Facult. Philos. in Regia Academia
 Aboënsi,*

Benignæ Eruditorum censuræ submitunt

AUCTOR

CHRISTIANUS CAVANDER,

PHIL. MAG.

ET

RESPONDENS

ERICUS WIDENIUS, Erici Fil.

AUSTRO-FENNONES

In Auditorio Superiori Die X. Aprilis Anni
 MDCCLVI.

Horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
 Finland, JACOB MERCKELL,

Plurimum Reverendo atque Præclarissimo VIRO,
**D^N. HENRICO
LIMNELIO,**

Pastori in Sackola longe meritissimo, nec non Confistorii Wiburgensis Adessori adcuratissimo, Avunculo ut unico, ita ardentissimo pietatis zelo prosequendo.

Impense mihi gratulor, eum jam ortum esse diem, quo occasio præbetur, meam erga Te Avuncule Optime reverentiam publice testatam reddendi. Hanc igitur ut avidè arripiam e re mihi quam maxime esse duco. Tanta enim Tua, Carissime Avuncule, in me fuit benignitas tantusque favor, quantus ab Avunculo unquam exspectari poterit. Proinde, licet in fatis Tuis illud fuerit, ut procul a nobis, ad exteros Lares, migrares, eo tamen amorem nostri, ne minui quidem, multo minus exstingvi, passus es; quod argumentis certissimis abundè declarasti, dum plurimis beneficiis me paternamque domum mactasti. Pro hisce vero, cum nihil, præter mentem gratissimam habeam, quod redhostimenti loco reponere possem, hanc commentationem, alieno licet Marte elaboratam, in mei tamen animi venerabundi tesseram, Tibi consecrare volui. Hunc vero meum conatum, ut ea qua soles benignitate excipias, est, quod humillima mente rogo. Quod superest, voveo, ut diu felix faustusque vivas in Ecclesie utilitatem, Tuorumque omnium gaudium atque solatium exoptatissimum! Ero dum vixero

NOMINIS TUI

cultor humillimus,
ERICUS E. WIDENIUS.

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo VIRO,

D_N. J A C O B O
Æ I M E L Æ O,

Pastori Urbis Tavaastburgensis longe dignissimo,
Fautori quavis veneratione atatem prosequendo.

DUm plurimorum, quæ erga me paternamque domum, nullo non tempore contulisti, beneficiorum memoriam recolo; haud difficulter intelligo, me ingratitude notam evitare vix posse, si hanc, quæ jam mihi offertur, eadem predicandi occasionem prætermitterem. Ingratitude inquam, immo impudentiæ jure meritoque insimularer, si tanti Fautoris, tot beneficia, grata mente non agnoscerem. Neque præter hanc aliud quid referre valeo. Quam ob rem ad vota statim confugio: Servet Te Deus ter Optimus Maximus, quam diutissime, omnigena felicitate cumulatissimum, in Sui nominis gloriam, Ecclesiæ emolumentum, Tuorumque omnium gaudium & solatium! Quod reliquum est, rogo, ut me eodem, quo hæcenus, animi adfectu prosequi pergas. Permanebo.

NOMINIS TUI


cultor observantissimus,
ERICUS E. WIDENIUS.

VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,
Dn. ERICO WIDENIO,
Pastori Halicoënsium vigilantissimo, Parenti indulgentissimo.

Illuxit demum dies diu expectatus, quo pietatem atque reverentiam in Te, Parens Indulgentissime, publice significare mihi licet. Hinc, cur magno perfundar gaudio, non e longinquo arcessendæ sunt rationes: Tot enim tantaque paterni Tui in me affectus extant documenta, ut eadem ne animo quidem complecti, multo minus debitis encomiis persequi valeam. Tu, Parens Optime, non solum ut viverem, sed etiam ut bene viverem proluxa Tuæ benivolentia effecisti. Nihil enim Tibi prius nihil antiquius fuit, quam curare, ut honestis quibusvis animus imbueretur meus. Imo, nec Ipsemet, Carissime Parens, quantum muneris Tui gravissimi negotia permiserunt, mentem teneram bonis excolere literis, grave duxisti. Ut deinde in proposito studiorum cursu pergere liceret, nullis pepercisti sumptibus, nullam intermisisti curam; verum monitis saluberrimis ad virtutem atque diligentiam, nullo non tempore, stimulos addidisti. Verbo: Tibi omnes, quascunque possideo, animi non minus quam corporis perfectiones, post Deum, debeo. Pro quibus omnibus, nihil prorsus quod Tibi referam habeo, nisi animum venerabundum, cui gratissima horum memoria in æternum insculpta manebit. De cetero preces devota mente fundere nunquam desitam, velit Summus rerum Moderator, cujus gratia multum pro Ecclesiæ utilitate laborasti, vitæ Tuæ annos addere plurimos, ut Ecclesiæ commodo inservire, Tuorumque ex voto felicitatem promovere possis! Jubeat Te salvum, hilarem & incolumem esse! Largiatur Tibi omnia, quibus vitæ hujus felicitas, animi tranquillitas & secura futurorum spes contineri solet! Ita vovet & vovebit

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus,
ERICUS E. WIDENIUS,



§. I.



Uamvis innumera fere Philosophorum, omni ævo, circa originem hujus universi, exstiterint sententiarum divortia, contentiones atque dissidia, (a) hæc tamen non obstant, quo minus ille, qui animum præjudicatis opinionibus gerit vacuum, rationi convenienter statuatur: Deum, totum hoc mundi systema, per liberrimum potentiaæ suæ exercitium, (b) ab initio temporis, (c) ex nihilo (d) in manifestationem gloriaæ suæ, (e) ad existentiam produxisse.

(a) Non mea hic loci interest, Poëtarum fabulas, antiquissimarumque gentium cosmogonias copiose recensere; si enim alicubi, certè hoc in puncto, luculentissima & illustria ignorantia, imbecillitatis, seu corruptæ humanæ naturæ, reperire licet specimina atque documenta. In tot enim monstrosas, ridiculas & impias, de artificiosissima hujus universi compagis ortu, opiniones prolapsi sunt mortales, ut voluminum materiem, multis eruditis, harum ex-

positio dederit. Possunt hæ in compendio legi in M. LÆNGMANNI *Disp. de interitu mundi* §. II. *Praef. Max. Rev. & Celeb. Doct. & Profess.* MENNANDER, *Aboae* 1751. Fuffiorem de his suppeditant noticiam auctores ibi citati, imprimis BRUCKER & CUDWORTH cum not. MOSHEMII.

(b) Deum, non necessitate aut vi quadam, ad creandum fuisse adactum & impulsum, omnes, qui sobrie & caste de Eo cogitant, fateri oportet, conf. præter alios A. LIMATII *Disp. de libertate Dei circa creationem, Praef. Celeb. Prof.* SCARIN, *Aboae* 1737.

(c) Dantur quidem, præter Socinianos & Arminianos, haud ultimæ fortis eruditi, qui æternitatem Dei, non omnis successione expertem faciunt, vel a comprehensionis nostræ imbecillitate, quæ æternitatem, omnis successione nesciam, difficulter admodum complecti valet, ad successionem ratione Dei concludendo, vel minus caute vocabulum *durationis* in definitione æternitatis adhibendo, vel etiam æternitatem & tempus infinitum confundendo. Defensores hujus sententiæ qui scire desiderat, evolvat GEORG. HENR. RIBOVII *Instit. Theol. Dog.* §. 260. imprimis vero *Celeb. MOSHEMII* not. ad CUDWORTHII *Syst. Intell. C. IV. §. XXI. p. 467.* & *C. V. Sect. I. §. XXV. p. 779. seq. & Celeb. Prof. N. WALLERII Syst. Metaph. T. III. §. 931.* qui simul historiam hujus controversiæ tradunt. Nos, consentientibus non solum viris nominatis, sed & præstantissimis aliis, successionem in essentiam Dei cadere negamus; contendentes, successionem & successiva non adfuisse, antequam res extra Deum existerent. Cum vero tempus sit ordo successivorum, patet illud non dari, ubi nulla adfunt successiva, & per consequentiam, ante ortum rerum successivarum, tempus non fuisse, verum simul cum illis incepisse.

Et

Et quamvis haud parvus Philosophorum & Theologorum sit numerus, quorum rationem nemo unquam sanus, obtusam & hebetem dixerit, qui, mundum ab æterno, a Deo, ad existentiam deduci seu creari posse defendunt. Vid. RIBOVII *Erlæuterung der Wolf. Metaph. C. 1. §. 5. & Ejusdem Theol. Dog. §. 1088.* Ipseque acutissimus BULFINGER in *Dilucid. Pbit. §. 192.* hic ambigat, nihil potens aut asserere definite aut negare; ut plures idem facientes taceam, vid. WALLERII *Metaph. T. III. §. 935.* Quum tamen, nec ex stabilita æternitate decretorum Divinorum, neque ex æterna, quam in Deo veneramur, potentia creatrice, possibilitas creationis mundi ab æterno, necessario sequatur, conf. JAC. CARPOVII. *Theol. Nat. §. 921. seq. & 952. (sq. Schol. & MART. PILGERI Theol. Dog. T. II. §. 42.* etiam nos negativam sententiam, nostram facere non dubitamus; præcipue, cum vanus omnino sit timor: Deum fieri mutabilem, si mundus certo tempore ab Eo factus esse credatur; in quo, præcipuam illorum rationem positam esse, plurimumque illos præsidii quærere, qui affirmativam sententiam defendunt, MOSHEM. asserit not. ad CUDWORTHI *s. j. C. IV. §. XIV. pag. 293.* Actiones enim hujus modi ad extra, nullam intrinsecam in Deo mutationem producant, licet extrinsecam Ei relationem addant. conf. RIBOVII *Theol. Dog. §. 1092.* Quod quamvis ita sit, ex intimo tamen corde, sententia MOSHEMII nuper cit. 1. assentimur, qui, postquam de Platoniorum hoc dogmate, nostra vero ætate, magnis iterum animorum motibus in scenam revocatis, caussis & historia commentatus est, his tandem claudit verbis: *Illud tamen ingenue fateor, satius mihi semper visum esse, has quaestiones, quae ingenium mortalium in captiones inducunt, vix explicandas, & infirmorum conturbant animos, aut prorsus omittere, aut verecunde & timide tractare, illa vero, quae de mundo a Deo condito, divinitus afflatis homines irradiare, simpli-*

citer & caste amplecti, quam subtilius in mundi ortum, Deique infinitas perfectiones inquirere: Quod nunquam fere, sine miseriae & infirmitatis nostrae oblivione fieri solet.

(d) Qui variis cuniculis, Christianam Religionem subruere, vel prorsus extinguere nituntur, *homines non re sed nomine*, ut merito cum CICERONE de Off. L. 1. C. 30. illos dixeris; inter alia etiam creationem, ut a Christianis proponitur, quam maxime rationi repugnare contendunt. Horum primipilaris est Comes BOULAINVILLIERIUS in *refutation au systéme de Spinoza*, qui pestiferus liber, potius defensionis quam confutationis disciplinæ Spinozae titulo debuisset exornari, vid. MOSHEMII *Instit. Hist. Eccles. N. T. p. 848. edit. 1755. 4.* Sed quemadmodum horum hominulorum, stulta coelum opugnantium temeritas, audacia & in figura hominis feritas, eousque jam prorupit, ut magno & maledico oris hiatu, quicquid in buccam venerit, eruant, multaque adeo tetra & obscœna proferant, ut dictu quoque videantur turpia; ita etiam haud pauci contrarium eviderunt, eorumque stultitiam detexerunt. Quamvis vero creationem, rationi repugnare, minime concedamus, nimis tamen confidenter, ne dicam audacter, viros illust. NEWTONUM, LOCKIUM, LEIBNITIUM & WOLFIUM fecisse existimamus, dum ipsum creationis modum, nos aliqua ratione concipere & comprehendere posse, arbitrantur. Creationem ipsam nos inconceptibilem, propter intellectus nostri imbecillitatem statuimus, & nihilo minus, illam ex nihilo factam esse urgemus argumentis tam certis, petitis ex ipsius materiae qualitate, rerum omnium mutabilitate, finitudine & imperfectione, vid. M. WALLENII *Disp. de incomprehensibilitate creationis ex nihilo S. VII. Praef. Celeb. Prof. MENNANDER, Aboae 1750. & MENOZA T. 1. p. II. sq. edit. Dan.* quam summam probabilitatem porrigentibus, desum-

defumtis ex origine populorum, imperiorum, rerum publicarum, nec non ex inventione & incrementis artium atque scientiarum, vid. *BUDDEI Hist. Eccles. V. Test. T. 1. P. 1. Sect. 1. §. 1. p. 49.* imprimis vero *Ejusd. Thes. de Atheism. & Superst. C. V. §. 9.* & *JAC. ABBADIE de la verité de la religion Chretienné Sect. 1. C. VI. §. IV. p. 49. seq.* quum extra modum absurdas sententias, alioquin amplecti cogemur, nisi ipsam quoque materiam, a Deo profectam esse credamus, ut ostendit *PET. BAYLIUS in Diction. Hist. & Crit. T. III. voce Ovidius, p. 556. seq.* Intelligimus autem per nihilum, Theologis præstantissimis sic dictum negativum, omnem præexistentis materiei negationem involvens, non vero nihilum negativum Philosophorum seu repugnantia. (Hanc observationem, propter mota recentius hac de re certamina, & vocis nihili, tam apud antiquiores quam recentiores ambiguitatem, addimus.) Num hæc ex nihilo negativo creatio, etiam a vocis נִדָּב notione cogi possit, de eo quidem variantes sententia sunt eruditorum. Hoc certum est, non eundem ubique in S. S. esse sensum hujus verbi. Utrum vero in *Kal* immediatam significet creationem, in *Piel* vero & *Niphal* mediatam, ut *BUDDEUS in Theol. Dog. L. II. C. II. §. II. p. 332.* vult? aliorum esto judicium. *RIBOVIUS*, qui in *Theol. Dog. §. 1004.* utriusque sententia plurimos recenset defensores, *BUDDEI* sententia non usque adeo est contentus, conf. etiam sis *PILGERI Theol. Dog. P. II. §. 12. p. 7. seq.*

Major adhuc inter viros eruditionis laude maxime conspicuos, de eo videtur esse dissensio: Num gentilibus creatio ex nihilo nota fuerit? Ab una enim parte *AUGUSTINUS STEUCHUS EUGUBINUS, H. GROTIUS, PET. DAN. HUETIUS, EDMUND. DIKINSONUS, ADAM TRIBBECHOVIUS, RAD. CUDWORTHUS,*

TOB. PFANNERUS, I. A. FABRICIUS, alique, veterum aliquos fuisse existimant, qui materiei aternitatem negarunt. Contrariam vero sententiam defendit Celeb. MOSHEMIUS in *Dissert. de creatione mundi ex nihilo*, CUDWORTHI *S. J. innexa*, ubi etiam §. III. auctores nominatos excitat, omniumque gentium Philosophiam percurrit, ostendendo, eos, creationem ex nihilo, aut ignorasse, aut in dubium vocasse. Adstipulatores hac in re, teste RIBOVIO in *Th. Dog.* §. 1011. habet PET. GASSENDUM, JAC. THOMASIVM, THOM. BURNETUM, & JOH. F. BUDDEUM. Perspicuis idem quoque aliis in locis verbis inculcat MOSHEMIUS, not. enim ad CUDWORTHI, *S. J. C. I.* §. 31. p. 48. inquit: *Si a Judaeis discendas, nescio an ullus antiquorum Philosophorum mundum negaverit aeternum esse. Omnes mihi aeternum professi videntur esse mundum: hoc vero uno disjunguntur, quod nonnulli, ut Aristoteles formam & materiam simul hujus orbis, alii vero, quorum princeps facile Plato, materiam tantum aeternam, formam vero a Deo comparatam, dixerunt.* Pluribus eandem confirmat sententiam not. ad C. IV. §. VI. p. 210. ostenditque, nonnullos statuisse, materiam separatim ex infinito tempore extra Deum existisse, alios ex omni aternitate cum ipso Deo conjunxisse, & hos iterum duplices fuisse; vel enim ex omni aeternitate materiam ex Deo fluxisse, sicut de sole lumen, vel semper intra Deum reconditam fuisse, & certo tamen & definito tempore ab Eo protrusam & formatam esse. Quis quæso non videt, has de aternitate materię opiniones, diversimode complicatas & propositas, tot deinde & mire variantia, de origine universi, peperisse sententiarum monstra? *Mirifico* enim, ait BUDDEUS in *Hist. Ecclief. V. Test. T. I. P. I. S. I.* §. II. p. 55. *consensu inter se de materiae aternitate conspirarunt gentilium philosophi, ut merito hanc hypothefin, inter prima gentilismi fundamenta re-*
suleris,

tuleris, etsi de modo rationeque qua ex rudi ista & infirmi mole mundus hic prodierit, valde inter se dissentirent. Et in Th. Dog. L. II. C. II. §. II. p. 331. asserit: idem & bodie praeceptum Atheismi esse fundamentum, recte viris doctis observatum est.

(e) Deus, propter summam suam sapientiam, per creationem hujus universi, finem aliquem obtinere voluit. Ille vero Eum nequaquam vel perficere vel delectare potuit, quandoquidem ipse in essentia sua sibi fuit sufficientissimus & beatissimus; hinc nihil aliud superest, quam ut manifestationem perfectionum suarum, Eum intendisse, statuamus. Hoc etiam S. S. confirmat *Rom. 1, 19. 20. Conf. JOH. ERN. SCHUBERTI introd. in Theol. Rev. §. 82.* Sunt quidem alii, qui, non manifestationem perfectionum Dei, sed perfectionem & felicitatem creaturarum, finem creationis ultimum faciunt. Sed bene monet CARPOVIUS *in Theol. Nat. §. 413. hos repugnantia dicere*, quatenus Deus, per exercitium bonitatis & potentiae suae, perfectiones creaturarum promovendo, suas hoc ipso perfectiones ostendit, illarumque manifestationem intendit; ut adeo promotio perfectionum creaturarum, ad manifestationem realitatum Dei, ceu finem ultimum, sit medium, felicitasque hominum, finis secundarius & intermedius creationis recte constituatur, bonitas autem Dei causa impulsiva interna. Hanc etiam ob causam MOSHEM. not. ad CUDWORTHI *S. J. C. V. Sect. V. §. XXI. p. 1186.* utramque sententiam, non inter se pugnare, sed amice consentire & sese mutuo sustentare docet, si modo rite explicentur. His probe observatis, decidi quoque potest quaestio: Num mundus & omnia quae in illo sunt, hominum causa sint facta? quam Stoicos imprimis & multos ex Patribus defendisse constat; imo nonnullos contendisse, propter Ecclesiam sive solos electos, illum

illum existere; quam sententiam nostro ævo, inter alios, amplexus est NIC. MALEBRANCHIUS in *Traité de la nature & de la grace*, dum P. I. §. III. p. 8. seq. inquit: *Tout est pour les hommes, les hommes pour JEsus Christ, & JEsus Christ pour Dieu, & p. 10. Dieu n'a fait le monde, que pour les predistinez.* Observandum quoque nos, dum hic de gloria Dei loquimur, non intelligere gloriam Dei *absolute* sic dictam, h. e. Ejus majestatem, sed *relative* spectatam, h. e. in quantum complexus realitatum Ejus, a creaturis rationalibus cognoscitur.

Evidto jam sine creationis, sententia tam Atheorum; quam Fatalistarum, aliorumque fines Dei negantium, vid. WALCHII *Lex. Phil. art. Finis*, & RIBOVII *Theol. Dog. §. 544.* simul explosa est. Frustra enim inter alios POIRETUS, Deum a finibus dependentem fieri timet, si nimirum darentur; *non enim in finibus, sed in cogitatione finium ratio actionum ejus sufficiens continetur*, ut monet SCHUBERTUS in *instit. Metaph. Part. IV. §. 971. Schol.* Et multo adhuc minus, Deus ostentationis, gloriæ vanæ cupidinis, aut vitiosæ alicujus ambitionis arguendus est, quamvis gloriam suam per creationem intenderit, uti impie locutus est famosus JOH. CONR. DIPPEL in *Demonstratione sua Evangelica, ejusque defensione*, ubi errores suos, acropolin Christianæ Religionis ferientes, proposuit, vid. JOH. FRID. STAPFERI *instit. Theol. Potem. T. IV. C. XV. p. 400. & 447.* Non enim honorem indebitum, sed sibi quam maxime proprium quarit; ut taceam, genuino conceptui Dei, has cogitationes, e diametro repugnare, gentilismumque redolere. Qui scire avet, quid porro GVILJELM KINGIUS, JAC. BERNARDUS & BAYLIUS, contra hanc Theologorum & Philosophorum sanorum sententiam objecerunt, qua Deum, universitatem hanc, gloriæ suæ causa, e nihilo eduxisse, docent,
adeat

adeat MOSHEMII not. ad CUDW. S. 7. p. 1185. vel RIBOVII *Th. Dog.* §. 1109. & alios. Nobis, his diutius immorari, non vacat; verba solum illust. BULFINGERI in *Dilucid. Phil.* §. 464. addimus: *Deus creaturis non indiget: igitur non creat ex necessitate naturae. Creat ex abundantia bonitatis, secundum consilium sapientiae, per liberum potentiae suae exercitium, ad laudem suarum perfectionum.* Ceterum verbo indicasse non pigebit, Celeb. CANZIUM in *Civit. Dei.* §. 280. b. edit. 1737. primum, ut ipse profiteatur, ex gloria Dei, ceu sine creationis, argumentum pro animæ immortalitate deduxisse, quem forsan secutus est STAPFER in *Th. Pol. T. I. C. III.* §. 720. & *T. II. C. VI.* §. 164. ubi idem argumentum urget. Magni illud uterque facit.

§. II.

HÆc gloria Divina, de qua (§. I.) locuti sumus, obtineri non potuit, sine ejusmodi creaturis, quæ facultate gauderent, sapientissimum hunc, & omnipotentem mundi Conditorem cognoscendi, h. e. intellectu, & libera voluntate, Eidem, debitam sive perfectionibus Ejus consentaneam obedientiam demonstrandi. Quamvis enim perfectionum Divinarum, luculentissima, in hoc mundo ubique sparsa, apparerent vestigia, illa tamen non nisi speculum *εἰσπραξίας* esse, & gloriam Creatoris sui, objective duntaxat, testatam reddere, potuerunt. Unde manifestum est, ad finem creationis ultimum obtinendum, creaturis rationalibus opus fuisse, qui perfectiones Dei, ex rebus creatis cognoscerent, Eumque venerarentur. (f) His cre-
 B aturis

aturis rationalibus seu hominibus, per ipsam creationem, sensum religionis inditum esse, ex allatis, sine difficultate, elucet. Etenim, homines gloriam Dei manifestare, veræque felicitatis participes fieri potuisse, nisi Auctorem & Conditorum suum cognoscerent, modoque, perfectionibus Ejus consentaneo, colerent & revererentur, obsonum est dicere. (g) Et quamvis lubenter concedamus, imo ex animo simul doleamus, cognitionem hanc, per lapsum, admodum esse obscuratam, (h) tamen, si nullam magis cognitionem, vel saltem vires Deum cognoscendi, homini superesse statueremus, nullius religionis aut moralitatis capax esset. Hinc rationibus, omni exceptione majoribus, contendimus: aliquas adhuc imaginis Divinæ seu pristinæ integritatis reliquias, in nobis superesse; (i) quod in hisce pagellis, pluribus, quantum tenuis nostra valet Minerva, evincere conamur, dum nonnulla, de Theologiæ Naturalis tam possibilitate, quam actualitate & indole, modestæ Tuæ, L. C. disquisitioni submittere, constituimus.

(f) Non ignoro, dari eruditos, imprimis recentiores, qui Angelorum existentiam, ex ratione evincere voluerunt. Sed quamvis concedam, possibilitatem ejusmodi Spirituum, rationi perspectam esse, imo probabiliter illam a posteriori, ad existentiam malorum spirituum concludere; nulla tamen ei prostant principia, ex quibus pariter, bonorum existentiam colligat. Conf. WALCHII *Lex. Pbil.* p. 740. & 1127. Quam igitur horum existentia, seposita revelatione, nobis non innotescat, merito etiam illa disquisitione superfedemus: In quantum, finis creationis, per illos obtineri potuisset?

(g) *Tum*

(g) Tum demum bene est civibus, cum regis sui sapientiam, potentiam & gloriam intelligunt, legibusque sapienter & juste ab eo rogatus obediunt. Tumque hominum salus & felicitas perficitur, quum & Dei, cui omnia acerbent, perfectiones vident, & ad Ejus reverentiam & honorem illis adduci sese patiuntur, inquit MOSHEM. not. ad CUDW. S. J. p. 1186. Vel hinc patet, quid de commentis Scholasticorum, Pontificiorum, Socinianorum, nonnullorumque aliorum, statum nimirum, uti illum vocant, purorum naturalium, sit sentiendum. Etenim Deum, hominem *ἐκείνου*, h. e. indifferentem ad bonum & malum, sine ulla cognitione sui, creare potuisse, tam fini creationis, quam perfectionibus divinis, & naturæ hominis rationali repugnat. Vid. FECHTII *Philos. Sac. Theol. Polem. §. XI.* HOLLAZII *Exam. Theol. P. I. p. 482. edit.* TELLERI, & QVENSTEDT. *Syst. Theol. P. I. p. 847. seq.* Pariter ex his, facile eorum refellitur sententia, qui secundum impium hoc effatum: *Primus in orbe Deos finxit timor*, religionem meram fictionem esse, ex vanoque timore originem duxisse, dicere non erubescunt; ejus impiæ sententiæ defensores dabimus §. VII. x. vellemus omnino, ut probe, hæc acute prolata MENOZÆ verba *T. II. p. 75. & 84. recordarentur, Sed quis timorem?*

(b) Ex oraculis sacris, lapsum hic notum supponimus; non enim adhuc placet, in controversiam illam incurere, quæ recentiori imprimis ætate, viros, quorum ingenii vis summa est, exercuit & torsit: Num nimirum ratio sibi relicta, statum felicitatis primævum perspicere, originemque mali moralis scire possit? de qua §. VIII. sententiam nostram liberius aperiemus. Quem scire juvat illos, qui in hac explicanda, industriæ suæ specimina dederunt, adeat JOH. ALB. FABRICIUM in *Detect. argum. & Syllab. Scriptor. de verit. Rel. Christ. C. XV. p. 378. seq.* CANZIUM

de usu Phil. Leib. & Wolf. in Theol. T. I. C. VI. §. 217. not.
 & BAUMEISTERUM in *hisor. controversiæ de mundo optimo*. Ut præteream WALCHIUM in *Lex. Phil. art. Böse, Erbsünd, Fall des ersten Menschen*, & BUDDEUM in *Theol. Dog. L. III. C. II. §. 35. p. 630. seq.* ex quibus quoque, non solum antiquorum Philosophorum hac de re discrepantes & impias opiniones, sed & recentius mota certamina, colligere licet. Gentiles lapsus aliquam habuisse notitiam, alii negant, affirmant alii, & præ ceteris PFANNERUS in *Syst. Theol. Gentil. purioris C. IX.* hac de re gentilium testimonia, copiose collegit. In quantum vero his fides est habenda, & quid ex illis concludere fas sit, optime exponitur in BUDDEI *Theol. Moral. P. I. C. I. Sect. IV. §. 78.* & in *Disp. M. RENNERI, de ratione mediatorem ignorante §. IV. Praef. Celeb. Prof. MENNANDER, Aboæ 1751.* Quo de cetero sensu, cognitio naturalis, per lapsum obscurata a nobis dicatur, ex §. VI. L. C. intelligere potest.

(i) Præclare omnino in hanc rem differit Hipponensium Episcopus AUGUSTINUS *Lib. I. de Spirit. & lit. C. 28.* Non, inquit, adeo in anima humana, imago Dei, terrenorum affectuum labe, detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. Consentit *Form. Concord. p. 657. edit.* RECHENBERGII, dum *humanam rationem seu naturalem intellectum hominis, obscuram aliquam notitiæ illius scintillulam reliquam habere, quod sit Deus: & particulam aliquam legis tenere, docet.* Digna quoque sunt, ut summa attentione legantur & pensitentur, quæ MENOZA *Tom. I. de conato hoc interno lumine, & conscientia norma adfert.* Ne tamen quis, nos temere, Pelagianorum, Arminianorum, aut Pontificiorum, aliorumque naturæ viribus justo plus tribuentium partibus, favere asserat, verbo indicasse sufficiat, nos imaginem Dei, hoc loco, in sensu latiori, Patri-bico sive Ecclesiastico sumtam, intelligere, Habet

Habes hic, L. B. instituti mei rationem. Equidem non dubito, fore plurimos, qui, inter alia, mihi illud occinunt, quod olim Photeæ Rhetori cuidam objiciebatur: *Audes ne juvenis de tam magnis rebus loqui?* Sed hi sciant, velim, me haud invitum agnoscere, materiei sublimitatem, exiguas ingenioli mei vires, multis parasangis superare. Interim tamen voluptate quadam perfundor, institutoque meo delector, quoties dignitas ejusdem animum subit; quum vestigia virorum eruditionis laude florentium premendo, veritates jucundissimas Religionis Naturalis, non quidem æmulationis aliquo ambitu, sed proficiendi tantum & discendi cupiditate, evolvere mihi liceat. Quem innocuum conatum, ut L. C. mitiori censura perstringat, omni, quo decet, verborum honore contendo.

§. III.

NE autem in præmissis diutius hæreamus, ad institutum nostrum, nos jam propius recipiamus. Et quum non nihil discriminis sit inter eruditos, in genuina Theologiæ Naturalis notione constituenda, necesse est, ut statim in limine, quid per eandem intelligamus, L. B. significemus. (*k*) Theologiæ objectum esse Religionem, hanc vero duabus partibus, cognitione nimirum & cultu Dei absolvi, veritas ipsa, ut statuamus, postulat. (*l*) Hinc Theologiæ Naturalis objectum esse Religionem Naturalem, eam vero propositionibus tam theoreticis, quam practicis contineri, haud obscure intelligitur. Unde illam, per *Scientiam eo-*

rum, quæ de Deo atque operibus ipsius, ex lumine naturæ, nobis cognoscenda, & ad cultum illius agenda sunt, recte definimus. (m)

(k) Omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. CICERO de Off. L. I. C. II.

(l) Plurimæ dantur voces, quæ successu temporis aliam, & a prima sua significatione, haud raro, prorsus alienam, induerunt significationem. Re rite putata, adparebit, neque vocis Religionis, omni ævo, fixam & prorsus eandem mansisse notionem. Ne enim quidquam de aliis, quas voci huic tribuere aliquando solent scriptores, dicam notionibus; videmus, quod ad præsens tantum institutum attinet, eam apud antiquos, non tam agnitionem, quam cultum & venerationem Numinis significasse. Patet hoc ex LACTANTIÏ L. IV. C. IV. de vera sapientia, ubi, *Sapientia*, (h. e. Theologia) inquit, *præcedit, religio sequitur*, (i. e. cultus & actio, secundum sapientiam illam instituta, ex interpretatione FECHTII in *Philoc. Sac. Theol. Patrist.* §. I.) *quia prius est Deum scire, consequens colere*. Nostra autem memoria, præcipua quadam ratione, agnitionem Dei, illam denotare, vel usus loquendi comprobatur. Dogmatibus enim maxime, seu opinionibus, quas homines de Deo rebusque Divinis fovent, religiones, in quas orbis dividitur, discernere moris est, ait BUDDEUS in *Th. Dog.* L. I. C. I. §. IV. p. 5. Quicquid hujus sit, duo utique ad Religionem, ἑλικῶς sive generaliter sumtam, requirimus, credenda nimirum & agenda, s. cognitionem de Deo operibusque Divinis, & actiones liberas, quas illa determinat. Qua in re nobis consentientes, non solum Theologos & Philosophos præstantissimos, sed & S. S. Rom. X, 14. habemus.

bemus. Neque enim a nobis disjunguntur illi, qui Deum faciunt objectum Theologiæ; quum libenter concedamus, Eum *objectum* esse Theologiæ, ut loqui amant, *materiale*, Religionem vero objectum *formale* constituere asserimus.

(*m*) Non omnes, qui Theologias Naturales condiderunt, eandem hic nobiscum fovent sententiam. Plurimi enim, illam mere Theoreticam faciunt, & quicquid ratio de officiis erga Deum præcipit, id in Philosophia Morali exponunt. Sed neque tamen defunt, qui eandem nobiscum in binas dividunt partes: *Theoreticam* nimirum s. *Dogmaticam*, quæ cognitionem Dei, & *Præcticam* s. *Moralem*, quæ cultum illius exponit. Placet hæc scientiæ nostræ divisio Celeb. WALCHIO in *Lex. Phit.* p. 2549. & in *Introd. in Philosoph.* L. II. C. II. *Proleg.* §. 16. p. 173. *seq.* CANZIO in *Discipl. Moral.* §. 383. & 529. & CARPOVIO in *Theol. Nat. Dogmatica.* Inculcat illam quoque illust. BULFINGER, dum in *Dilucid. Phil.* §. 372. *seq.* regulas nonnullas tradit, quæ, circa methodum Theologiæ Naturalis, sunt observandæ, & §. 381. inter alia inquit: *Non ille officii sui partes implevit, nisi qui vel ex notione de Deo assumpta, vel ex attributis inde demonstratis, ostenderit, teneri hominem ad actiones religiosas adversus Deum, & propter Deum officiosas erga se & alios.* Quare etiam ipse §. 493. ad finem Lib. cit. de cultu Dei agit. FRID. GENTZKENIUS in *Syst. Phit.* P. II. Theologiæ Naturali partem specialem subjunxit, de cultu Dei. Fecit idem SCHUBERTUS in *Instit. Metaph. Part. IV. C. VII.* Pari modo sentit PILGERUS in *Theol. Dog. Sect. I. C. II.* §. 130. & *sect. II. C. II.* §. 711. *seq.* Si quid jam meum, hac in re, est iudicium, hos certe, qui res a natura copulatas conjungunt, convenientius facere existimo; quare etiam gloriosum duxi, illos hoc in puncto sequi. Nam, quemadmodum intellectus, vera de Deo

Deo cognitione est imbuendus, ita etiam voluntas ad amorem & reverentiam Ejus est flectenda. Cognitio enim, quam nulla consequitur actio, haud immerito manca, inchoata, solivaga & jejuna cum CICERONE dicitur, *conf. Lib. 1. de Off. C. 43. & 44.* Neque utilitate sua deficitur, hæc Theologiæ Naturalis in bifariam facta divisio. Si enim aliquando Philosophorum, mirum in modum variantes sententiæ & contentiones, de primo Juris Naturalis principio, componi queant, nullo hoc feliciter succedere potest modo, quam, si officia erga Deum, in Theologia Naturali pertractentur; quum facilius omnino sit, ejusmodi excogitare principium, unde officia erga nos & alios deduci possunt, quam tale, quod etiam officia erga Deum, sub se completeretur. Si quæ, alioquin magna, ejusmodi principii, est necessitas? Patet ex hac observatione, eos, qui Illust. PUFENDORFFII, fat celebre J. N. principium, ex eo capite reprehenderunt, quod officia erga Deum, directe inde deduci nequeant, ex nostra quidem sententia, illud sine ratione prægnanti fecisse.

Vindicata jam nostra definitione, brevem historiæ Theologiæ Naturalis sciagraphiam subjungere placet; quod ab instituto nostro alienum, nemo judicabit. Copiosam huius notitiam tradunt, non solum generales Hist. Literariæ Scriptores, sed præcipue illi, qui de Theologia gentium aut in genere, aut speciatim de hujus vel illius gentis, aut viri Theologia scripsere, quos dabunt viri, a nobis mox citandi. Nos statim observamus, non omnino negligendam esse differentiam inter Theologiam Nat. & Gentilem, illa enim sana ratione, hæc plerumque idololatria & superstitione nititur. Quamvis enim sapientiores Gentium interdum talia proferrent, quæ rectæ rationi satis erant consentanea, admodum tamen pauci hi fuere; imo de rebus certissi-

certissimis incerti, ultra conjecturas probabiles ascendere non valuerunt. *conf.* STAFFERI *Tb. Pol. T. II. C. IX. §. 3.* Plurima autem pars, perverfas, ineptas & stultas de Deo & Religione, fovebat opiniones, absurdasque, ridiculas atque impias Deum Deosve colendi rationes ac modos excogitavit. Non tamen ex his statim concludere licet, adeo nobis facile esse ipsam indolem Theologiæ Gentilium scire, ac multi forsan sibi persuadent. Sæpe enim haud pauci illorum, qui in hac explicanda defudarunt, ex paucis Scriptorum quorundam verbis, populi cujusdam sensus de Deo æstimare, h. e. privatorum quorundam hominum, & integrarum gentium, de Religione sententias, miscere solent; nonnulli vero ex iis, qui veterum sententias uno systemate collegerunt, laudabilem licet operam in eo collocantes, præjudicio tamen suo forte indulserunt, & harmoniam cum Christiana Religione cupidius quam veritas ipsa admittere potuit, quæsiiverunt; imo, si finem suum consequi non potuere, mentem illorum corruerunt, vid. MORHOFFII *Polyhist. T. III. L. V. p. 525. & observat. de Syncretismo Phil. T. III. observ. 12. seq. p. 218. seq.* Pertinent huc, inter alios, illorum multi, qui recentioribus temporibus veritatem Religionis Christianæ propugnarunt, & vestigia Trinitatis, inter gentes a vera Religione averfas, quæsiiverunt, ut A. STEUCHUS EUGUBINUS, MORNÆUS, HUETIUS, CUDWORTHUS, aliique, vid. WALCHII *Lex. Phil. p. 565. & BUDDÆI Isagog. Lib. Poster. C. VII. §. X. p. 1207.* Quum igitur ea sit ratio multorum, qui de veterum Theologia commentati sunt eruditorum, quid mirum, quod in fatis Theologiæ Naturalis exponendis, non omnibus eadem sit mens? Quid inquam mirum, quod tanta hic obtineat confusio, tot occurrant sententiæ, imo conjecturæ, de veræ Theologiæ Nat. corruptione, indololatriæ & superstitionis ortu & primo genere, variis Theologiæ

C

gentilis

gentilis divisionibus, aliisque huc spectantibus rebus? ut prudentiores rem valde lubricam ac temeritatis plenam esse pronuntient, de prisca gentium Theologia in univ-
 sum decernere. Quæ cum certitudine hic dici possunt, huc fere redeunt: Primis temporibus, veram & puram fuisse Theologiam Nat., successu vero temporis, per varias fi-
 ctiones & fabulas, imprimis Poëtarum, admodum eam esse corruptam, adulteratam & depravatam. Nec minus illud verum est, omnes, qui olim Diis servierunt commentitiis, unius non fuisse sententiæ, nec idcirco uno omnes genere comprehendi posse. Non enim antiqui Deorum cultores, certis legibus, doctrinæ formulis, confessionibus & symbolis alligabantur, unde neque omnes, easdem de rebus divinis fovebant opiniones, sed ea quisque amplectebatur scita, quæ suo ingenio maxime accommodata erant, sibi que meliora ceteris videbantur, modo cultum Deorum, publica auctoritate sancitum, penitus non negligeret, aut conturbar-
 ret. Hinc tot sæpe in una gente Religiones, quot provin-
 ciæ, urbes, collegia sacerdotum & homines, qui pro-
 prio iudicio uti volebant, observante MOSHEMIO *not. ad*
CUDW. S. J. C. IV. S. XIX. p. 416. & Diff. antea cit. §.
XXI. Neque illud prætereundum, quod antiquorum popu-
 lorum Religio, non semper una eademque permanferit, sed
 per bella, commercia, peregrinationes, aliarum gentium in-
 vasiones, vicissitudines passa fuerit, mutationemque haud
 parvam subierit, imo faciem sive formam a pristina pene
 diversam induerit. Antiquos *Ægyptios, Persas, Syros, In-*
dos, reliquosque barbarie infectos populos, duplex Theo-
 logiæ habuisse genus, unum *populare* s. *vulgare, commenti-*
rium fabulisque repertum; alterum *ἀπόρητον,* *arcanum* s. *re-*
conditum & abstrusum, quod paucis tantum cognitum & a-
 pertum voluerunt, præstantissimi, qui veterum de Diis scita
 explorarunt, auctores ostendunt. Pariter apud Græcos &
 Roma-

Romanos, Theologiam in naturalem veramque, & civilem vulgaremque divifam fuiffe, contendunt; licet non defint alii, qui auctoritate nixi M. T. VARRONIS in *fragmentis* p. 31. EUSEBII in *Præpar. Evang. L. IV. C. I.* & SCÆVOLÆ apud AUGUSTINUM *de Civit. Dei L. VI. C. V.* tria apud hos viguiffe Theologiæ genera afferunt; *Naturale* nimirum f. *physicum* quod philofophi in fcholis excoluerunt; *Fabuloſum* f. *mythicum*, quod & *hiſtoricum* & *theatricum* nuncupabant, ſub fabularum involucris, noticiam de rebus divinis proponens, Deorum generationes, concubitus, adulteria, furta, pugnas, aliaque ridicula & impia tradens; & *Civile* f. *politicum*, quod in civitatibus antiqua confuetudine inolevit, illisque accommodatum erat, modum, infinitum Deorum numerum, per comefſationes, compotationes, aliasque a ſana ratione abhorrentes aëtionem colendi, oftendens. Hoc ultimum genus, omnium corruptiſſimum, omnique fœdæ idololatriæ originem dediffe, ſimul fatentur. Imo oftendit Celeb. MOSHEM *not. ad CUDW. C. IV. §. 31. p. 561.* S. PAULUM Rom. 1. Cap. hoc triplex religionis genus, apte & perſpicue ſuis coloribus exprimere, verſuque 19-22. de primo, v. 23. de ſecondo & v. 25. de tertio genere loqui. Quemadmodum ARISTOTELIS Theologia in libris ejus, qui τῶν μετὰ τὴν Φυſικὰ inſcribuntur, proponitur, ita etiam Scholaſtici plerique, magiſtri ſui veſtigia prementes, ſuam qualemcunque de Deo tractationem, Metaphyſicæ inferuerunt. Obſervandum tamen, quod barbaro hoc, ut dicitur, Scholaſtico ævo, non minus Theologia Nat. quam aliæ ſcientiæ, craſſis & Cimмериis tenebris ſepulta, jacuerit; adeoque perinde fere, hoc reſpectu, eſt, ſi quis contendere voluerit, eos penitus eam neglexiſſe. Multa egregia antiquorum Theologiam illuſtrantia ſuppeditat CUDW. in *S. 7.* per totum fere *C. IV.* quibus MOSHEM in notis magnam lucem af-

fundit. Nec minori cum voluptate legi possunt, quæ de illa, suis in locis, multa cum eruditione disputat BRUCKER in *Hist. Crit. Phil.* Breviter historiam ejus percurrit BUDDEUS in *Isagog. L. Prior. C. IV. §. 30.* Post *παλαιγενεσίαν* bonarum artium, imprimis medium Seculi XV. quo tempore Hispanus quidam, RAYMUNDUS de SABUNDE, vel, ut alii, SEBUNDA, aut, ut rursus alii SEBEIDE & SEBONDE, primus Theol. Nat. a squalore Scholastico, aliquo modo purgasse dicitur, plures viri eruditionis laude maxime celebres, multam ingenii & eruditionis copiam, in nobilissima hac scientia excolenda, & ad summum fastigium perducenda consumserunt, quam ut a me, hoc loco, eorum catalogus exhiberi queat. *Celeb. WALCHIUS in Introd. in Phil. L. II. C. II. Proleg. §. XV.* in quatuor eos classes distribuit, quarum I. illos continet, qui universam Theol. Nat. Systematica proposuerunt ratione; II. qui peculiarem ejus tractarunt partem; III qui speciatim Th. Nat. veritates contra Atheorum vindicarunt objectiones; & IV. qui illam historice tractarunt; cui parti §. XX. l. c. adjungit eos, qui contra Naturalistas scripserunt. Multos qui in hac scientia elaborarunt recensent MORHOVIUS in *Polybist. T. III. L. V. p. 524 - 534.* & STOLLIUS in *Introd. in Hist. Lit. P. II. C. III. imprimis §. XXVI. seq.* Plures vero peti possunt, ex illis auctoribus, quorum meminit WALCHIUS in *Lex. Phil. p. 143. 1359. 2550.* & JO. CHRISTOPH. ROECHERUS in *conspectu Theol. universae p. 152.* Eos, qui scire desiderant, qualis veterum nostrorum Sveo-Gothorum fuerit Theologia, nos, brevitati studentes, ablegatos volumus ad Nob. DALINI *Sv. R. Hist. T. I. C. V. & Mag. FRID. MOZELII Diss. de Philosophia veterum Sveo-Gothorum C. II. Upsaliae 1755.* Id solum observamus, magis rationi convenientem, antiquarum gentium hyperborearum, secundum nonnullorum sententiam, fuisse Theologiam, quam Græcorum & Romanorum, vid. *Svån/ka Mercurius p. 217.*

§. IV.

Quum finis propter quem, Numen T. O. M. homines in rerum hac universitate existere voluit, sit gloriæ Ejus manifestatio, (§. I. e.) hæc vero manifestetur, dum homines, non tantum perfectionum Ejus notiones veras s. Majestati ipsius convenientes sibi formant, verum etiam his ceu motivis efficacissimis, ad Eum rite & sincere colendum utuntur; (§. II.) patet homines ad Religionem Nat. excolendam & servandam obligari; quandoquidem illa continetur cognitione & cultu Dei, quatenus per principia rationis determinantur. (§. III.) Jam nemo unus, ut opinor, asserere potest, aliquem, sincero & spontaneo cultu Deum proficere posse, nisi qui fanis, de Majestate & gloria Ejus admiranda, cogitationibus est imbutus. Etenim, qui nullam Illius cognitionem habet, ille neque Eum colere, aut voluntatem Ejus facere potest: qui erroneam de Ipso fovet sententiam, gloriam Ejus non illustrat, sed obscurat: qui vero confusas attributorum Ejus tenet notiones, in superstitionem variosque alios errores pronus est. Permagni igitur refert, qualem quis Deum mente sua concipit, (n) ad hunc enim conceptum, actiones postea conformantur. Et quum perfectionibus Divinis omnino repugnet, veram sui cognitionem & cultum h. e. Religionem ab hominibus poscere, nisi illa in se esset possibilis; hinc haud difficulter adparet, tam Dei conceptum in se possibilem esse; (o) quam etiam homines, qui cum

sana ratione in gratiam redire, pertinaciter non recusant, tantam sibi posse supremi Entis comparare cognitionem, quanta ad motiva & normam pietatis sufficit. (p)

(n) Optime hoc agnovit EPICETUS *Enchirid. C. XXVIII.* scribens: *Κυρίως δὲ οὐδὲν ὑπλήψεις περὶ θεῶν εἶχει.* Nec quisquam hanc veritatem negare audebit, nisi qui, aut apertum foverit Scepticismum, aut insanam opinionem, de indifferentia omnium Religionum probaverit.

(o) Neminem, Theologiæ Nat. vel mediocriter peritum, controversia fat celebris, de primo Dei conceptu, ex quo reliqua Ejus attributa commodissime & evidentissime concipi, deduci & demonstrari queant, præterire potest. In varias enim sententias, illorum, qui hic industriam suam exercuerunt, animi distracti sunt. Nonnulli cum ARISTOTELE in vita Dei æterna & optima illum quærunt, alii cum THOMA AQUINATE in intellectione, (de hac sententia a WOLFII imprimis ætate multum disputatum est, conf. BULFINGERI *Dilucid. Phil. §. 422. (q.)*) alii cum SVAREZIO in omnibus prædicatis Dei absolutis, alii cum DONATO in aseitæ & independentia, alii cum WOËTIO, SCHEIBLERO, SCHARFFIO in infinitudine, in Spiritualitate alii, alii in aliis Dei attributis; quas tamen opiniones prolixius repetere non attinet, quum sæpius sint recoctæ, vid. JÆGERI *Theol. Nat. C. II. p. 23.* CARPOVII *Theol. Nat. §. 823. Schol. & AND. OL. KNÖSII Diss. de principiis & nexu Religionis Nat. & Rev. P. Pr. §. VIII. Praef. Celeb. Prof. IHRE, Upsaliae 1742.* Nos ferram contentionis, hac de re, cum nemine recipendam suscipimus; præcipue, cum in sensu, ut loqui amant, *identificativo, materiali* s. *Metaphysico*, unum quodque Dei attributum, pro Ejus essentia assigna-

assignari queat. Illis hac vice assentimur, qui aut cum CUDWORTHO in *S. J. C. IV. §. VIII. p. 214. Deum esse naturam ex omni parte perfectam* dicunt, aut paucis adjectis, Eum definiunt per *Spiritum perfectissimum, a mundo diversum, existentiae ejus rationem sufficientem in se continentem*. Ejusmodi vero Ens perfectissimum possibile esse, faciles largientur illi, qui attendunt, poni hic omnes realitates, scilicet perfectiones sine ulla limitatione, vel ad numerum, vel ad gradum earum; neque adeo defectum aut negationem aliquam hic locum habere, ex qua contradictio, & simul impossibilitas oriretur, conf. CARPOVII *Theol. Nat. §. I-13.* & BAUMEISTERI *Instit. Metaph. §. 781. p. 546.* Patet hinc, insanam & dementem illam Atheorum esse sententiam, qua contendunt, notionem Dei, nihil esse aliud, quam inanem sonum & collectionem arbitriam notionum variarum inter se pugnantium, Theologiam vero, indigestam molem idearum ejusmodi discrepantium & dissonarum, sine necessitate junctarum copularumque. Etenim perfectiones illae, ex quibus notio Dei componitur, minime inter se dissident aut pugnant, sed potius vinculo indissolubili ita sunt connexae, ut nulla arte divelli, separari, dirimi aut distrahi queant.

(p) Triplici modo ideas a nobis formari, per sensationem scilicet, imaginationem & intellectum, res est notissima. Et quum omnes, quibus sana & ad attentionem vel mediocrem apta mens est, fateri cogantur, eos in errore versari, qui Enti, quod nomine perfectissimi veneramur, membra corporea, indolemque in sensus incurrentem tribuunt; (quo ipso tamen non omnes indiscrete Materialistas in atheorum numerum referimus, consentientibus nobis MOSHEMIO, WOLFIO & RIBOVIO, *vid. Ejusd. Th. Dog. §. 50. p. 26.*) sine difficultate elucet, Dei seu Entis simplicissimi
notio-

notionem, nos per sensus externos & imaginationem, nobis immediate formare non posse; quamvis hoc ipso tamen, omne sensuum externorum & imaginationis, in cognitione Dei acquirenda, illustranda ac retinenda, ministerium minime rejiciamus. Quod cum ita sit, nihil aliud superest, quam ut ope nobilissimæ illius animæ nostræ facultatis, qua a ceteris animalibus, benignissimus rerum omnium Auctor & Stator, hominem discernere voluit, h. e. intellectus, non quidem quatenus universales tantum notiones pro objecto habet, sed in latiori paululum significatione spectati, Deum concipi posse statuamus. Etenim homines ejus beneficio, rerum, sensuum vim & aciem fugientium, ideas sibi animo formare posse, unumquemque, notiones rerum universales, justis, honestis & turpis, propriaque condonet conscientia. Non opus est, ut proluxa demonstratione hoc muniam, quum nemo secum habitans, hac de re facile dubitare possit. Neque proprie ad institutum meum pertinet, cum ejusmodi hominibus certamen inire, qui aciem mentis a sensuum consuetudine abstrahere, aut non didicerunt, aut non voluerunt; plurimi enim hos ad incitatas redegere, invictisque argumentis ostenderunt, neminem sui competentem, aut de mentis & rationis statu morbo quodam non dejectum, serio ita sentire posse. Pariter neque illam, sat subtilem & spinosam controversiam, ingredi placeat, quæ de initiis omnis cognitionis humanæ movetur; num scilicet sensus externi, omni quæ in nobis est cognitioni, occasionem præbuerint, adeoque notiones nullæ in nobis existant, nisi sensuum ope primum excitatæ, meditatione vero postea fortæ, roboratæ & amplificatæ? quam sententiam multos graves & ingenio potentes viros defendisse constat.

Evidetia, ut speramus perspicue, tam possibilitate Entis perfectissimi, quam potentia seu capacitate hominis, ad

notitiam ejusmodi Entis animo formandam, facile inde concluditur, Theologiam de qua loquimur Naturalem, possibilem esse. Quod quamvis ita sit, haud pauci tamen sunt, qui possibilitatem ejus in dubium vocant. Ne enim quidquam de Socinianis, aliisque cognitionem Dei naturalem negantibus dicam, Atheos nunc solum loquor, qui ut existentiam Dei, hominisque ab illo dependentiam, omnis Religionis fundamentum negare & evertere queant, Deum propter infinitatem, quam ipsi tribuimus, concipi posse inficiantur, adeoque Theologiam Nat. impossibilem esse contendunt. Callide hos confutat MOSHEM. *not. ad CUDW. S. J. C. V. Sect. 1. §. XIX. p. 766.* dum ait: *Qui sic rationem concludit: Deus non est, quia nihil infinitum est, is aeque disputat scienter & pulchre, atque is qui hoc modo argumentatur: Nullus est talis cacodaemon, qualis a pictoribus depingitur; ergo nullus omnino cacodaemon est.* Sunt hi homunciones, qui relinquunt & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae, ut apposite loquitur CICERO *de off. L. I. C. XXIX.* carcinomata eam ob causam & monstra hominum, potius quam homines dicendi. *Quid enim interest, fatente eodem TULLIO de off. L. III. C. XX. utrum ex homine se quis conferat in belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluae?* Hujusmodi hominum causam, inter alios, egisse videtur HOBBIUS, quando *in Lib. de Cive & Leviathan,* si non omnibus, certe affirmativis s. positivis Dei notionibus, nos destitui, contendit. Verum ficulnea ejus argumenta, a plurimis dudum sunt explora. Omnes quidem imperfectiones a Deo removemus, sanctitatemque ideo illi tribuimus; sed omnes quoque realitates ipsi inesse, simul contendimus. TIMÆUS apud PLATONEM de Deo asserit: *τὸ μὲν ἐκ ἑστῆν, ὁὶδα. τὶ δὲ ἔστιν, ἐκ ὁὶδα.* Et DAMASCENUS *de Orthod. Fide. L. I. C. IV. De Deo,* ait,

D

quid

quid sit secundum substantiam, dicere impossibile, convenientius-
 que de Deo longe esse, per omnium ablationem facere sermo-
 nem. Cum sit nihil eorum, quae sunt. Non ut non ens,
 sed ut omnia entia supereminens & super ipsum esse ens. vid.
 CHRIST. STOCKII, Homil. Real-Lex. p. 583. Quam ob
 eausam etiam nos libenter concedimus, imo urgemus, co-
 gnitionem Dei adaequatam, ex omni parte absolutam, per-
 fectam & comprehensivam in hominem non cadere; quum
 ne angelis quidem & hominibus glorificatis, tanta ingenii
 acies competat, ut Deum animo perfecte comprehendere
 ac complecti valeant, quippe qui solus infinitarum sua-
 rum perfectionum intimos recessus & abyssos adaequate
 scrutetur. Inde vero non sequitur, nullos nos positivos, de
 Deo habere conceptus; & multo adhuc minus ideo, aut
 existentiam Ejus negare, aut cognitionem Ejus nullam &
 impossibilem pronuntiare licet. Certe qui ita rationes sub-
 ducunt, pueriliter valde & ridicule faciunt, nugasque &
 fumum vendunt. Nulla inquit HEIDANUS in Corp. Theol.
 T. 1. p. 54. res adaequate cognoscitur, hoc est ita, ut certus
 esse possis, nihil praeter illud quod de ea concepisti, in illa con-
 tineri, tum enim homo sibi arrogaret id, quod est Dei. Ne-
 que enim adaequata scientia competit nisi omniscio. Si hoc
 de aliis rebus valet, ut certissime valet, quanto magis de
 Deo: Ejus enim magnitudinis non est investigatio s. finis.
 לקחתי און חקר P. S. 145, 3. conf. 1. Reg. 8, 7. Et
 quis non videt, contradictionem omnino involvere, dicere
 Deum infinitum, & tamen ab homine comprehendi posse?
 MOSHEM not. ad CUDW. S. J. plurimis in locis, im-
 primis vero C. V. Sect. I. §. XIV. p. 762. vehementer du-
 bitat, fuisse quemquam atheorum, qui omnem infinitatem
 sustulerit, aut ideo existentiam Dei negarit, quia infinitatem
 nemo comprehendere potest; adeoque omnes, quot recen-
 tiori aetate atheorum argumenta vel enumerarunt, vel con-
 futa-

futarunt, in eo, nimium in profanam hanc & nefariam turbam, odio suo dedisse, quod secuti CUDWORTHUM, hanc illis imputaverint sententiam. Quod si tamen aliquis ita vefanus fuerit, ut ejusmodi quid dixerit; illum ego cum sapius nominato, laudibusque meis multum superiori MOSHEMIO *not. ad CUDW. S. 7. C. IV. §. 1. p. 205. Deo & Medicis potius commendandum esse arbitror, quam rationibus & argumentis coercendum. Quid enim homini facias, cujus tanta est perversitas, ut quum ipse non possit Deum oppugnare, nisi notionem ejus aliquam informet animo, esse tamen Dei notionem aliquam in cujusquam hominis mente, negat?* Planum hinc est: Hypothesin atheisticam contradictoriam esse. *conf. STAPFERI, Tb. Pol. T. II, C. VI, §. 59. seq.*

§. V.

Non vero sufficit, possibilitatem solum Theologiae Naturalis (§. IV.) ostendisse, sed requiritur omnino, ut eadem industria probetur, eam revera s. ipso actu dari; sic enim atheis, aliisque profanis hominibus, cum quibus nobis hic res est, nulla magis elabendi rima relinquitur. Evin-
citur autem hæc ejus actualitas satis superque exinde, quod non tantum existentiae, attributorum, operumque Dei ideas claras atque distinctas nobis formare valeamus; (q) Verum etiam omnimodam nostram ab Eo dependentiam, & Ejus inde in nos fluens dominium absolute plenum atque monarchicum, nec non obligationem nostram, ad argumenta & motiva actionum nostrarum li-

berarum, a perfectionibus Ipsius distincte cognitis desumenda, luculenter perspicere queamus. (r)

(q) Deum existere, absque operoso molimine, unumquemque attendit, hujus, quod incolimus, universi consideratio docet. Etenim, dum vastam hanc rerum existentium seriem animo agitamus & volvimus, nihil facilius deprehendimus, quam singula quæ hic occurrunt, ita esse comparata, ut existere, vario modo existere, vel prorsus non existere queant; adeoque totum hunc mundum contingentem esse. Ens vero contingentem existens, rationem sufficientem existentiae suæ in se ipso habere nequit, est enim illud proprium entis absolute necessarii; agnoscit ergo eam in alio a se diverso. Et cum progressus seriei causarum in infinitum, principium rationis sufficientis tollat; subsistendum omnino est in ente aliquo absolute necessario. Quam primum igitur mundum contingentem existentem cogitamus, statim intelligimus, dari ens absolute necessarium ab illo diversum, in quo existentiae ejus ratio sufficiens continetur. Dum porro, artificiosissimam mundanæ hujus machinæ structuram, pulchritudinem inimitabilem, rerum ubique occurrentium vastitatem, stupendam varietatem, ordinem & harmoniam admirandam, paucis, omnes illarum perfectiones, oculis animoque contemplamur; verba quidem reperire non possumus, quibus mentis nostræ, de his, ideam apte evolvamus & exprimamus, quam animus hic obstupescat sibi que veluti eripiat; simul tamen abunde perspicimus, Ens illud, cui cuncta hæc existentiam debent, infinitis gloriosissimisque eminere & explendescere perfectionibus, bonitate nimirum, sapientia & potentia, h. e. intellectu & voluntate; adeoque Spiritum Eum esse perfectissimum, & secundum definitionem (§. IV. o.) traditam, existere Deum. *Quid potest esse tam apertum, tamque per-*

perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen, præstantissimæ mentis, quo hæc regantur, inquit antea a nobis laudatus ARPINAS, de Nat. Deor. L. III. C. 1. Pateret hic jam mihi campus, in quo excurrendo ingenioli vires experirer, dignissimus, quod omnino fateantur necesse est omnes, qui aliquo rerum Divinarum, illisque innexæ veræ suæ felicitatis sensu afficiuntur. Copiosius enim de existentia, attributis & operibus Dei differere, accuratius in illa inquirere, sicque cuncta sigillatim considerando æqua mentis lance pensitare, notions distinctas tradere, demonstrationesque exornare liceret. Et fateor sane, eam quam de his mente completor ideam, sermonis mihi aviditatem auxisse. Sed quum simul tamen videam, dicendorum multitudine me obrui, si singula, ea qua oportet alacritate & accuratone persequi vellem, ampliorem harum veritatum expositionem omittere cogor. Neque enim voluminis materies intra arctos disfertatiunculæ limites cogi potest.

Quamvis non numero argumentorum, sed pondere res judicentur, officio tamen suo deesse noluerunt Theologi & Philosophi, dum ad insanam impudentissimorum atheorum audaciam, petulantiam, extremamque proterviam coercendam, retundendam & refringendam, ingenti vi argumentorum, existentiam Dei demonstrare conati sunt. Variè argumenta hæc dispesci & possunt & solent; nec incommodè BUDDEUS in *Thef. de Atheism. & Superst. C. V. §. II. in Metaphysica, Physica & Historica* ea divisit, quibus alii *Moralia* addunt. Antequam vero nos, nonnulla horum argumentorum, quasi per transfennam, exhibere queamus, necesse est, ut paucis ad Theologiæ Nat. divisionem attendamus. Duplicis notitiæ mentionem facit S. PAULUS *Rom. Cap. 1, 19. 20. & C. 11, 14. 15. insitæ s. connatæ & ac-*

quisitae s. comparatae. Quanta notitia hæc insita sit, de eo imprimis anquirunt Theologi. *Alii* per iudicium connatum, *alii* per speciem impressam, *alii* per habitum analogice sic dictum, *alii* per dispositionem s. facultatem aut potentiam propinquam eam definiunt. Ultimam sententiam Theologi præstantissimi, MUSÆUS, CALOVIUS, HULSEMANNUS, BAYERUS, SCHERZERUS, BUDDEUS, WALCHIUS, RIBOVIUS, CARPOVIUS, SCHUBERTUS, aliique defendunt, quibus & nos suffragamur: quum experientiæ omnino repugnet, statuere, actu aliquam Dei cognitionem, hominibus, reflexo rationis usu destitutis, inesse. Exemplum hanc assertionem confirmans, maxime memorabile, legitur in *act. Erud. Lips.* 1706. p. 366. de homine XXIV. annorum, qui ante sermonis usum, hac ætate inopinato acceptum, nullam de Deo, anima, moralitate actionum ac morte cognitionem habuit. De pluribus ejusmodi exemplis vid. *Memoires de l' acad. Roy. des scien.* 1703. p. 312. CONNOR in *Evang. Medici art.* XV. p. 133. & HARTKNOCH de *Rep. Pol. L. I. C. II. p.* 108. Illos, qui integras gentes cognitione Dei vacuas, cum STRABONE, LOCKIO, BAYLIO, BENTLEJO, MOLTKENIO, RYDIGERO dari contendunt, earumque deinde exemplo, omnem insitam supremi Numinis notitiam oppugnant, plurimorum nostra ætate industria repressit. Nam si vel maxime ejusmodi homines dari fingerentur, quid inde aliud sequeretur, quam dispositionem s. inclinationem connatam, aut si mavis, exiguum Divinæ cognitionis semen, quod mente sua gerunt inclusum, affectuum violentia atque perversitate, apud hos prope corruptum & extinctum esse, quoniam animi sui culturam penitus neglexerunt, insitamque ejus propensionem sequi, sublevare & a fordibus liberare omiserunt? minime vero, omni Divinitatis sentu illos carere, hinc elicitor. *Nulla gens tam fera, nemo omnium tam*

*immanis est, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio, ait CICERO L. 1. Quæst. Tuscul. vel ut idem L. 1. C. 8. de legib. præclare scribit: Nulla gens est neque tam immanisve-
ta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habe-
re Deum deceat, tamen habendum putet: Et SENECA Epist. CXVII. Omnibus de Diis opinio insita est; nec ulla gens us-
quam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos
Deos credat.*

Quod ad cognitionem Dei naturalem acquisitam atti-
net, illam CARPOVIUS in *Diss. protus. Theol. Nat. præmis-
sa*, §. 47. seq. duplicem facit, unam *a priori*, alteram *a po-
steriori*. Num vero existentia Dei *a priori*, h. e. ex ipsa idea
innata entis perfectissimi colligi queat, magna omnino, in-
ter viros ingenio valentes, existit contentio. Adhibuerunt
hoc argumentum ANSELMUS, CARTESIUS, multique
ejus affectæ; validum vero & stringens illud esse existima-
runt LEIBNITIUS, WOLFIUS, HANSCHIUS, RIBO-
VIUS, CARPOVIUS, aliique, si modo possibilitas ejusmo-
di entis prius probetur. Sed pugnant nihilominus ab al-
tera parte Theologi & Philosophi ingeniosissimi, conten-
dentes, demonstrationem hanc non stringere, verum so-
phisma aliquod involvere. Temeritatis notam vix effuge-
re possem, si tantum ingenio considerem meo, ut post tot
magnorum virorum conatus, aliquid ad compositionem hu-
jus litæ, quam *a populari captu semotam censet* Celeb. MOS-
HEMIUS *not. ad CUDW. S. 7. C. V. S. 1. §. CII. p.*
896. me adferre posse putarem. Eum tamen assensum, ne-
gativæ sententiæ non denegaturum arbitror, qui animo præ-
judiciis vacuo, ea diligenter legit, relegit, meditationeque
severiore profequitur, quæ, inter alios, ingenii acumine
& sagacitate præditos viros, contra hoc argumentum mo-
nuere MOSHEMIUS *l. e. p. 888 - 899.* & BUDDIUS in
Theol.

Thef. de Atheism. & Superst. & in Theol. Dog. L. II. C. I. §. V. p. 194. Licet enim notio entis perfectissimi, necessariæ existentiae ideam includat, quomodo tamen inde ad actua-lem ejus, extra mentem concipientis, existentiam concludere liceat, quantumcunque ingenio enitar, deprehendere non valeo. Qui ceteroquin de hoc argumento maximi nominis viri in utramque partem disputarunt a GRAPIO *in Theol. recens controvers. T. I. C. I. q. 3. p. 11. seq.* BAYLIO *in Dict. Hist. & Crit. T. IV. voce Zabarella p. 530.* & FABRICIO *in Syllab. Scriptor. de verit. Rel. Christ. C. X. p. 325. (q. commemorantur.* Excogitata sunt quoque alia argumenta a priori: sic ex conscientia terrente malos & tranquillante bonos, ex veritatibus necessariis, animæque nostræ consideratione, multi idem evincere conati sunt.

Viam a posteriori innumeri fere calcarunt. *Tor,* inquit CLEMENS ALEXANDRINUS, *sunt Divinae potentiae documenta, quot sunt in mundo rerum species, imo quot sunt res vel magnae vel exiguae. Liber naturae tria habet folia, caelum, terram & mare.* vid. STARKII *Synopsin Biblioth. Exeg. in N. T. Rom. Cap. I. 20.* Ut multos veterum sciens præteream, qui ex universi hujus contemplatione, Dei existentiam adstruxerunt, Ejusque perfectiones ex illo, quasi speculo, elucere ostenderunt; recentiori imprimis memoria hic egregiam operam collocarunt RAJUS, NIEUWENTYTIUS, DERHAMUS, SCHEUZERUS, GREWIUS, GEORG. CHEUNE, JOH. WUCHERER, ROB. BOYLE, WOLFIUS, aliique. Multi speciatim regna naturæ attentioni suæ subjecerunt, eandemque veritatem adstruxerunt; enatae hinc sunt doctorum virorum Litho-Tessaceo-Pyro-Bronto-Phytho-Insecto-Ichthyo- & ornithotheologiae. Alii ex hac vel illa corporum specie, & mirandis naturæ eventibus id collegerunt; ut GERH. MEJER ex pluvia & ara-

aranearum telis, JOH. HENR. a SEELEN ex tonitru, JOH. WILH. FEUERLIN ex montibus, THEOD. HORN & GUST. EICHFELD ex motu corporum, JAC. GUSSETIUS ex mundi hujus inferioris harmonia, AND. MURRAY ex voce animalium. Alii piæ meditationis objectum hominem elegerunt, & ex illo ejusque membris Divinæ existentia & infinitæ sapientia testimonia excitarunt: ut JOH. CHRISTOPH. STOCKIUS & MART. BOHEMUS ex homine, GEORG. DETHARDING ex corpore humano, FRANC. ULR. RIES ex mentis & corporis unione, FRID. SIDELIUS, SAM. FRID. WEITZMANN & AUG. GOTTFR. KROMAYER ex affectibus, JENICHEN ex sensibus externis, HEISTER ex structura ossium, J. W. FEUERLIN ex lingua & loquela, J. A. FABRICIUS, STURMIUS, THUMMIGIUS & HOFFMANNUS ex oculo, JO. FRID. WUCHERER ex cerebro, JO. AND. SCHMIDIUS & JAC. LENFENT ex aure, HAMBERGER ex corde, HANS SLOANE ex ventriculo, CHRIST. DONATUS ex manu. Alii cælum & astra hunc in finem considerarunt, unde habemus Astrotheologias; *Est enim Astronomia adversus atheorum impetus munissimum praesidium, nec aliunde felicius, quam ex hac pharetra, contra impiam catervam tela depromuntur* ait D. COTTESIUS in Praefat. ad NEWTONI principia, vid. P. WARGENTINI *Disp. de incrementis Astronomiae &c p. 35. Uppsaliae 1746.* conf. etiam WOLFII praefat. ad *Elementa Astron.* & CELSII *pr. es. ad s. GRAVESAND. instit. Astronom.* Nec parvus eorum est numerus, qui existentiam supremi Entis ostendere allaborarunt, ex finibus rerum, ex ordine & gubernatione hujus universi, & ex miraculis; ne quid de argumentis historicis, origine scilicet regnorum & rerumpublicarum, praesertim vero de consensu gentium, qui multas excitavit turbas, dicam, *Conf. de*

his & multis aliis huc spectantibus argumentis WALCHII *Lex. Phil. art. Gott. CARPOVII Diss. cit. praeipue §. 44. Celeb. Prof. N. WALLERII Diss. de indote Praenot. Theol. §. VII. Upsaliae 1751. Imprimis autem FABRICII Syllab. Script. de verit. Rel. Christ. C. VII. p. 286. sq. & BUDDI Th. de atheism. & sup. C. V. qui simul de plurimorum argumentorum meritis iudicium ferunt. Nos id solum addimus, omnia fere hęc argumenta ita esse comparata, ut a contingentia vim suam potissimum nanciscantur.*

Potest vero hic institui quæstio, utrum argumenta metaphysica an physica aptiora sint ad Theologiam Naturalem condendam h. e. perfectiones Divinas demonstrandas, atheosque, pantheistas & reliquos impietatis promachos coercendos & debellandos? de qua non omnes uno eodemque sentiunt modo. Alii enim Metaphysicæ, alii Physicæ hic prærogativam tribuunt; & fere prout quisque huius vel illius studio magis vel minus delectatur. Celeb. CANZIUS in *Civit. Dei §. 103. d.* contendit: *rationes physicas, morales & historicas probare non tam Dei existentiam, quam existentis attributa & affectiones.* Alium vero sensum fundunt verba in *Disp. JOH. ELENII de Demonstratione existent. & attrib. Dei a posteriori §. I. p. 3. Praef. Rev. BROWALLIO, Aboae 1745. Id in honorem argumentorum physicorum dixisse sufficit, multum respectu vivacitatis in convulsionem interesse, dum argumento subtili, abstracto & metaphysico existentiam Dei evincere studeas, aut dum in natura Deum quasi sensibus obvium, audiendum, videndum, palpandum præbes. Si nostrum hic iudicium nos interponere auderemus, illum optime sibi & veritati consulere existimarem, qui utraque conjungit. Quemadmodum enim prædicata Dei absoluta, ægre ex consideratione mundi materialis demonstrantur, ita respectiva ex Physica multum confirmantur & illustrantur, Quum*

Quum jam tot, infinitæ Divinæ Majestatis, gloriosa & luculentissima, per universam rerum naturam, occurrant vestigia & testimonia, quot rerum contingentium existant species & individua; consulant igitur quæso semet ipsos in quibus mens & ratio est, judicentque, quid de atheorum stultitia, omnem cognitionem Dei tam insitam quam acquisitam negantium, nec non Socinianorum petulantia, qui, licet non omnes eodem modo, illis frigidum suffundunt. Ut Arminianos, Deistas, Epicureos, aliosque taceam, qui pariter, suis dogmatibus, Theologiam Nat. tollunt. Aut dic fodes, quid in mentem venerit Jo. PUTEANO? asserenti: *Posse dari ignorantiam inculpabilem in aliquo de existentia Deitatis*, vid. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufend. Exercit. IV. §. 32. p. 216.* Dubitare certe quis potest, an hominibus hi sint annumerandi. *Quis enim, ut verbis utar CICERONIS de Nat. Deor. L. II. hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cæli motus, tam raros astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa & apta viderit, neget in his ullam rationem inesse, eaque casu fieri dicit, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus.* Effet nobis nunc occasio argumenta horum fusius diluendi; sed præterquam quod brevitatis proposita, omnia ad unguem persequi non permittat, etiam ex allatis sine difficultate hæc evertuntur; quare ulteriori illorum refutatione superfedemus. Rationes & objectiones Socinianorum, tam ex ratione quam S. S. petitas, confutant, inter alios, SCHERZERUS in *Colleg. Anti-Soc. p. 29. seq.* HOLLAZIUS in *Exam. Theol. p. 192. seq.* & STAPFER in *Th. Pol. T. III, C. XII, §. 139. seq.*

(r) Mirari omnino convenit, homines, varias ineptas & ridiculas, de origine generis sui, olim fovisse sententias, vid. *Praefat. ad S. BOCHARTI Geograph. Sacr. Part.*

Prior. & BUDDI *Hist. Eccles. V. Test. T. I. Per. I. §. VIII.* p. 63. *seq.* quum nihil tam apertum sit, si modo rationis ductum sequi volumus, quam nos ab Ente aliquo absolute necessario originem ducere, licet intimior ortus hujus cognitio, quod ad modum imprimis & tempus, rationem fugiat. Attendentes enim ad animam nostram, continuis eam cogitationibus h. e. mutationibus obnoxiam esse deprehendimus, unde illam esse contingentem, adeoque existentia suæ rationem in alio habere non posse, quam in Ente absolute necessario, adparet. Et quoniam idem valet de corporea, quæ a nobis circumfertur, mole; hinc tuto inferitur: omnes homines, quod ad animam & corpus a Deo dependere. Pari quoque certitudine, ex stabilitate omnium rerum contingentia, & consideratione Divinæ sapientiæ, bonitatis atque potentia, vid. BUDDI *Th. Dogm. L. II. C. II. §. 43.* sequitur: Deum, singulas a se creatas res, conservare. Impossibile enim est, ut ens contingenter existens, existentiam suam a se ipso continuat, frustra quoque omnino multi gentiles Philosophi, recentiori autem memoria NIC. TAURELLUS, conservationis hujus necessitatem sollicitarunt, vid. BUDDI *Theol. de Atheism. & superst. C. VII. §. I.* & RIBOVII *Theol. Dog. §. III7.* Quum igitur haud obscure ex dictis constet, homines in totum a Deo dependere, certissimum est, quod Ipse eorum sit Dominus, & jus perfectum s. illimitatum in illos illorumque actiones habeat; adeoque a vero longissime abesse HOBBIUM, dum *de Cive C. XV. §. II. p. 257.* & in *Leviath. C. 31.* Atheos & Deistas ab imperio Dei ideo eximit, *quia nec præcepta Ejus agnoscant, nec minas metuant, nec Eum esse credant.* Non enim propter suam rebellionem, desinunt a Deo esse dependentes, ex qua dependentia jus s. dominium Ejus in homines & omnes creaturas derivari debet, conf. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufend. Exercit. III. §. VII.*

VII. Omni juri perfecto ex altera parte respondet perfecta obligatio, vid. SCHUBERTI. *Phil. Pract.* §. 92. ergo ad actiones suas liberas non pro lubitu, sed conformiter voluntati Domini dirigendas, homines obligantur. Voluntas Domini s. Dei est, ut gloria Ejus illustretur, h. e. perfectiones illius ab hominibus cognoscantur & actionum motiva ab illis fumantur; (§. I. & II.) moraliter igitur necesse est, seu obligantur homines, ad motiva actionum suarum ex perfectionibus Divinis desumenda. Actiones, quarum motiva sunt Divinarum perfectionum & actionum cogitationes, constituunt cultum Dei, (*per definit.*) ergo homines tenentur ad Deum colendum. Actiones porro hominum vel animi sunt vel corporis, unde cultus Dei in internum & externum dividitur; quemadmodum etiam externus præcipue, in directum s. immediatum, qui actionibus Dei solius causa susceptis, & indirectum s. mediatum, qui officiorum erga nos & alios observatione absolvitur, dispesci sivevit. Tam ad externum quam internum cultum homo per principia rationis obligatur. Et primo quidem quod ad cultum internum attinet, nemo facile, nisi plane Atheus aut Deista fuerit, homines ad illum teneri negabit. Fuit quidem doctrina de summo bono relative spectato, antiquis philosophis pomum aliquod Eridos, in cujus determinatione mire eorum dissonant enuntiata, vid. WALCHII *Lex. Phil. art. Höchstes Gut.* Absolute tamen loquendo, plurimi de eo consentiebant, quod Deus sit summum bonum, seu ut PLATO *Lib. VI. de Republica* ait: *ἡ ἀγαθὸν καὶ ἐξέχον*, quamvis & horum sententiam caute admodum & cum grano salis accipiendam esse jure moneant BUDDEUS in *Tb. Mor. P. I. C. I. S. IV. §. 85. not.* & WALCHIUS l. c. Nos vero, qui tam ex ratione a gentilium figmentis purgata, quam S. S. certo certius novimus, perfectiones Dei amice ad bonitatem Ejus erga

nos demonstrandam conspirare, nihil potius inde concludere possumus & debemus, quam amore illum summe sincero esse prosequendum, gratesque ipsi, ob beneficia in nos collata, maximas agendas & persolvendas esse. Et quum eadem certitudine sciamus, summa Eum sapientia, justitia atque potentia gaudere, hinc reverentia, veneratione pietateque pariter summa colendus, ex intimo corde invocandus, spes omnis atque fiducia in illo collocanda est. Quod ad cultum externum spectat, notum est, CHRIST. THOMASIIUM, TITIIUM, GEORG. BEYERUM, PROELEUM & RYDIGERUM negasse, necessitatem ejus a ratione posse demonstrari, vid. WALCHII *Lex. Phil. art. Gottes dienst*. Sed facile contrarium evincitur. Etenim vult Deus ut per actiones nostras, gloriam Ejus illustremus, (§. II.) actiones vero mentis & corporis sunt, ergo per utrasque gloriam Ejus exprimere tenemur. Imo propter alios homines, qui nostro exemplo ad eundem ardorem imitandum excitantur, ad hanc externi cultus celebrationem obligati sumus: ne quid de arctissimo inter cultum internum & externum nexu dicam; si enim ille verus & serius est, tunc non potest non in externos erumpere actus. Pluribus horum sententiam refutarunt VALENT. ERN. LOESCHERUS in *Praenot. Theol.* p. 91. BUDDEUS *de pietate Phil. in Select. J. N. & G.* p. 223. BARBEYRACIUS *ad Pufend. J. N. & G. L. II. C. IV. §. III.* præter WALCHIIUM & quos ille l. c. adducit. Quamvis vero ratio non solum cultum externum requirat, sed & certum eidem tempus destinandum esse luculenter perspiciat, minime tamen ex ejus dictamine innotescit, quod septimus præ ceteris dies sit sacer celebrandus. Dudum enim observatum est, ea, quæ de septimi diei s. Sabbathi celebratione, apud varias gentes occurrunt vestigia, traditioni ortum debere, vid. BUDDEI *Theol. Moral. P. II. C. III. S. II. §. 32.*

Non

Non licet nobis de veritatibus, quæ hac §. continentur, copiosius cogitationes nostras expromere, multo minus singulis momentis demonstrationis robur addere; Integram enim Theologiam Naturalem Dogmaticam & Moralem, necesse haberemus exornare, si omnia ad vivum refecare vellemus. Quamvis igitur multa extremis quasi digitis attingere coacti simus, speramus tamen, vel ex his, actualitatem Theologiæ Naturalis, ad oculum patere.

CORRIGENDA.

Pag. 5. lin. 31. leg. DICKINSONUS. p. 7. l. 17. leg. §. 408. p. 10. l. 7. leg. absonum. p. 12. l. 26. leg. docet. p. 16. l. 17. leg. reprehenderunt. p. 17. l. 32. leg. idololatriæ. p. 19. l. 8. leg. quod. p. 20. l. 25. leg. KOECHERUS. p. 22. l. 25. leg. Theol.



The University of Chicago is a leading center of research and learning in the natural and social sciences, the arts, and the humanities. It is a place where the best minds from around the world come to study and work together. The University is committed to the highest standards of academic excellence and to the advancement of knowledge for the benefit of all.

For more information, please contact the Office of the Registrar at (773) 936-3333 or visit our website at www.uchicago.edu. We are proud to be a part of the University of Chicago community.

